HOMILIA

SANCTISS. DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS XI.

PONT. MAX.

HABITA

IN FESTO SS. APOSTOLORUM

PETRI, ET PAULI

INTER MISSARUM SOLEMNIA

In Sacrosancta Basilica Vaticana,

ANNO DOMINI M.DCC.XVII.

FLORENTIÆ. MDCCXVII.

Typis Regiæ Celsitudinis Apud Jo: Cajetanum Tartini
& Sanctem Franchi. *Superiorum permissu.*

MAGNUM adeò, ac mirabile potentiæ [A] ſuæ conſortium Principi Apoſtolorum contulit divina dignatio, cùm primùm ille interroganti Domino Diſcipulos ſuos, quem ipſi Eum eſſe dicerent, fideli confeſſione reſpondit: *Tu* [B] *es Chriſtus Filjus Dei vivi*: ut ſatìs mirari non poſſimus ſoli Petro pro ejuſmodi juſtiſſimâ, ac prorſus debitâ, imò & ab aliis editâ confeſſione, ampliſſimum illud, ac ſingulare præmium, quod Nobis Evangelica lectio reſeravit, tributum fuiſſe. Nonne enim etiam Nathanael verè Iſraelita, [C] & in quo dolus non erat, priuſquam ipſemet Petrus, vel aljus quiſquam Chriſtum Dei Filjum pronunciaſſet, palàm, & apertè ei dixerat: *Rabbì, tu* [D] *es Filjus Dei?* Nonne pariter, cùm aſcendiſſet Jeſus in naviculam, omnes qui in illâ erant, adoraverunt [E] eum, dicentes: *Verè Filjus Dei es?* Nonne & Martha dicenti Domino

A *Ex S. Leone ſerm. 3. in anniverſ. die aſſumptionis ſuæ cir. med.*

B *Matth. cap.* 16. *v.* 16.

C *Joan. cap.* 1. *v.* 47.

D *Joan. ibid. v* 49.

E *Matth. cap.* 14. *v.* 33.

F Joan. cap. 11. v. 26. ad eam: *Omnis*, [F] *qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum: credis hoc?* Con-
G Ibid. v. 27. festim respondit: *Utique*, [G] *Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc Mundum venisti?* Nonne demum etiam Centurio, ubi vidit Christum in
H Matth. cap. 27 v. 54. Cruce expirantem, liberâ voce clamavit: *Verè* [H] *Filjus Dei erat iste?* Quare igitur Nathanael, tametsi primus omnium Christi divinitatem promulgasset, adeôque,
I Ex S. Augustino in Joannis Evangel. cap. 1. Tract. 7. num. 17. ut Augustinus advertit, [I] primus similiter inter Apostolos recensendus videretur, non solùm primus non fuit, sed nec medius, nec postremus duodenario illorum numero adscriptus invenitur? Quare itidem, qui in naviculâ erant, licèt Christum adoraverint, illumque Dei Filjum confessi fuerint, beati à Domino minimè dicti sunt? Quare demum nec Marthæ fides laudari meruit, nec Centurionis confessio celebrari? Solusque Petrus Christum Dei Filjum enuncians, æternæ Veritatis testimonio beatus prædicatur,
K Ex S. Hilar. cap. 16. in Matth. felix ædificandæ [K] Ecclesiæ fundamentum in novi nominis nuncupatione consti-
L S. Leo serm. 2. in anniver. die assumptio. suæ circ. med. tuitur, cœlestis Regni Claviger declaratur, ligandorumque, [L] ac solvendorum

arbi-

arbiter, mansurâ etiam in cœlis judiciorum suorum definitione, præficitur? Scrutemur, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, scrutemur singillatim rationes, ut mysterium agnoscamus. Dixit Christum Nathanael Dei Filjum: at simul etiam dixit Regem Israel: *Rabbi, Tu ex Filjus Dei:* [M] *Tu es Rex Israel*. Humanum aliquid sapere poterat Fides illa, quæ Dei Filjum agnoscebat eum, quem Regem credebat. Agnovit Martha Christi divinitatem; sed tunc agnovit, cùm ab eo Lazarum fratrem suum ad vitam revocandum postulabat. Adoraverunt Christum, qui in naviculâ erant, eumque confessi sunt Filjum Dei; sed hanc ab eis confessionem naufragii timor extorsit. Hoc ipsum confessus est Centurio; sed, ut in Evangelio legimus: *viso* [N] *terræmotu*. Solus Petrus terrena spernens, cœlestia respiciens, nullâ caducæ felicitatis cupidine illectus, nullâ cujusvis discriminis formidine territus, sublimi illâ confessione, quam nec caro, nec sanguis ei revelavit, sed divinus Pater, qui in Cœlis est, [O] Apostolico cordi inspiravit, diversa opinantibus aliis, Christum Dei vivi

M *Joan. cap. 1. v. 49.*

N *Matth. cap. 27. v. 55.*

O *Ex S. Leone d. serm. 2. in annivers. die assumptionis suæ.*

vivi Filjum promulgavit, & credidit. Mirari itaque desinamus, si solus itidem Petrus insigne illud, ac præclarum suæ confessionis præmium meruit, quod illi Dominus largitus fuit, cum dixit: *Beatus es Simon* [P] *Bariona, quia caro, & sanguis non revelavit Tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est. Et ego dico Tibi, quia Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves Regni Cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* Meruit hæc, Dilectissimi, meruit hæc Petri Fides, sancta Fides, magnanima Fides, heroica Fides; quippe quæ omnia [Q] humanarum opinionum incerta trascendens, firmitatem petræ, quæ nullis impulsionibus quateretur, accepit. At ubinam hodie intrepidam hanc, & verè Apostolicam Fidem invenire poterimus? Procul, [R] & de ultimis finibus pretium ejus. Heu quàm degenerem adulta nunc, aut veriùs annosa jam Fides ab eâ exhibet indolem, quam tenera adhuc, & lactens, in suâ spirabat infantia! Quàm discolor

P *Matth. cap. 16. v. 17. 18. & 19.*

Q *Ex S. Leone ubi supra.*

R *Proverb. capit. 31. v. 10*

ab

ab illo nunc tempore apparet, quo pro eâ fortiter aſſerenda invicti Chriſti Pugiles mollia omnia calcabant, aſpera omnia tolerabant! Quàm alieni ſunt hodie trepidi Fidelium greſſus ab eorum celeri curſu qui magiſterio [S] Apoſtolicæ illius Vocis imbuti: *Tu es Chriſtus Filjus Dei vivi*: ibant [T] gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti fuerant pro Nomine JESU contumeliam pati! Obſcuratum eſt [V] aurum: mutatus eſt color optimus. Sed finem jam dolendi faciamus; atque uberem ſemper, & in nos ipſos perennem divinorum munerum largitatem agnoſcentes, humiles potius agamus gratias Patri Miſericordiarum, [X] & Deo totius conſolationis, qui etiam in diebus noſtris primævæ Fidei inſtaurat exempla, donatque Nobis, ut coram intueri poſſimus fortem, ac conſtantem veræ Fidei Defenſorem, qui carnem, & ſanguinem æterni Patris illuſtrationibus obluctantem vincere novit, & quidquid mundus aut ad dignitatem auguſtius, aut ad claritatem ſplendidius largiri poteſt, excelſo, ac verè Regio animi robore contempſit, ut illibatam ſerva-

S Ex S. Leone ubi ſupra.

T Act. cap. 5. v. 41.

V Thren. cap 4. v. 1.

X Ex 2. Corinth. cap. 1. n. 3.

varet ſtrenuam illam , invictamque Fidem , quam Chriſtus in Petro tot præconiis extulit , tot beneficiis cumulavit . Caveamus tamen , Dilectiſſimi , nè hoc ipſum divinæ bonitatis donum , quod tantam huic noſtræ ætati lucem affert , nec ullâ unquam ſeræ poſteritatis oblivione delebitur , deſidiam noſtram aliquando redarguat , ubi ſcilicet tam illuſtri exemplo provocati , in ſacroſanctæ Religionis officiis torpentes inveniremur , fulgidamque eximiæ virtutis imaginem oculis noſtris objectam inerti ſuſpiceremus obtutu . Omni propter eà animi fervore ſtudeamus Petri Fidem , Regiam Fidem , impavidam Fidem , quam dignâ commendatione proſequimur , ſedulâ imitatione complecti , præclarum illud monitum Beati Gregorii aſſiduè reputantes , & ob oculos habentes : Ille verè [y] credit , qui exercet operando quod credit .

y S. Gregor. homil. 26 in Evangel. poſt med.